

diocris actionis, quæ in integro vel simplici remedio tantæ efficaciam, vt posterius dicetur, expectanda non fuerat, cohibeantur. Dissolutio ergo & compositio formam Chymicæ enituntur: quarum altera, ita se habet ad alteram, vt nec resolutio sine compositione quicquam efficiat: nec compositio absq; resolutione probè succedat. In aliquibus certè, vt prius iam diximus, ne opus quidem est dissolutionis vllius, vel saltem compositionis artificio: natura tum artificis munus obeunte. At iam de eo, quod ὡς Ἰπὶ τὸ πολὺ contingit, verba facimus.



## C A P V T V I I.

*Isdem modis preparandorum medicamentorum vtuntur Medici & Chymici.*

**H**æc Forma Chymicæ est: quam hætenus à Medica Φαρμακοποιᾷ aut nihil abesse, aut certè perexiguam arbitrabamur. Si enim per singu-